

PRAEPOSITURA DE ADONY,
ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS IN HUNGARIA.

In terra Nyr magnam, adhuc non divisam possessionem habuit genus de Guth-Keled. Membra huius generis, antequam possessionem istam inter se divisissent, in medio possessionis, in villa Adon¹⁾ monasterium aedificaverant ad instar ecclesiae parochialis, quae villa ex hoc tempore Adonmonostora seu Monostorosadon appellabatur²⁾. Verum auditis his denominationibus non licet nobis quoddam magnum, populosum monasterium prae oculis habere, nam verbum « *monostoros* » *hic paene idem significat, ac « egyház »*, i. e. ecclesia praeditum.

Hoc monasterio condito genus de Guth-Keled nihil aliud voluit, quam ut membra generationis et populi eorum plurimi pastorem animarum stabilem haberent, praeterea ut monasterium hoc esset locus communis sepulturae totius generationis. — Ut pastoris animarum stabilis sustentationem tutam reddant, non solum monasterium seu ecclesiam aedificant, sed pastor animarum insuper accipit locum sessionis, curiam nobilitarem et portiones possessionarias, quae a communi possessione eorum seiunctae erant et de quibus patroni pastori animarum consequenterque monasterio seu ecclesiae de Adon litteras donationales vigorosas dabant.

Denominatio « monasterium » argumento est nobis, quod patroni, respective ad personam pastoris animarum, non sacerdotes saeculares, sed sacerdotes regulares optabant habere in sua ecclesia, quod eo tempore in Hungaria mos erat. Genus de Guth-Keled in monasterium suum de Adon filios Sancti Norberti, fratres prae-

1) In comitatu de Szabolcs, iuxta viam ferream Debrecen-Mátészalka.

2) Nomina villae seu monasterii medii aevi : anno 1307 : Odun/ DL 1706./; 1320 : Odon/ Lepaige : Bibliotheca ordinis praemonstratensis Parisiis 1633./; 1321 : Odun/ DL 3877./; 1347 : Odonmonustura/ Anjoukori okm. V 16./; 1355 : Odonmonostora/ Anjoukori okm. VI 326./ alibi : Monosthorosadon.

monstratenses invitaverat ad munus pastoris obeundum, qui iuxta privilegia Summorum Pontificum etiam sine speciali permissione ordinarii valebant suscipere curam animarum, tantummodo patri abbati debentes oboedientiam praestare. Titulus huiusmodi pastoris animarum erat « praepositus ».

Membra generis de Guth-Keled praepositum ecclesiae Sancti Stephani protomartyris de Promontorie Varadinensi in comitatu Bihariensi habitae, adibant debita cum instantia, ut sicuti tot aliis monasteriis, eorumdem monasterio quoque provideret unum alterumve fratrem ex matre ecclesia, qui mox in monasterio eiusdem generationis qua « praepositus ecclesiae de Adon » munere suo fungeretur. Praepositus et conventus ecclesiae S. Stephani libenter inclinabat precibus patronorum et pater abbas mox persona idonea providebat monasterium ipsorum, ita tamen, ut frater professus monasterii S. Stephani Varadinensis, patronis praesentatus et ab ipsis acceptus, etiam in posterum membrum ecclesiae suae pristinae maneret, quo eum pater abbas iustis ex causis quovis tempore revocare posset, sed et ipse emissus frater « servato titulo praepositi de Adon » semper recedere posset, si casus aliquis vel valetudo eius id exigere. Quo in casu pater abbas semper alium fratrem mittere debebat, ne animae fidelium, vacante diu sede praepositali, aliquid detrimenti capiant. Missio vel revocatio fratris semper ius patris abbatis erat; neque ordinarius se umquam in hanc rem immiscebat. Superfluum videtur explanari, quod talis missio semper pro honore habebatur et electio ex parte patris abbatis semper in personam maxime idoneum cadebat.

Tempus foundationis monasterii de Adon ignoramus. In catalogo anni 1235. ³⁾ nondum invenitur, ast catalogo anni 1320. ⁴⁾ iam insertum est, Sed etiam propius possumus tempus foundationis determinare quia hoc monasterium « commune in generatione » erat, certe prius fundabatur, quam divisio possessionum incepta est. Haec divisio autem incipiebatur in secunda parte saeculi XIII., foundationem ergo valde probabiliter ad annos 1245-1260. referimus. — Consecratum est monasterium in honorem B. Mariae Virginis, unde et nomen accepit : « Monasterium Beatae Virginis Mariae de Odon. »

Membra generationis ius patronatus monasterii etiam post divisionem possessionum diu communiter habuerunt; sic, cum anno

3) Catalogus sic dictus Ninivensis.

4) Vide apud Pagium sub N=2. citatum.

1307. denuo divisionem faciunt inter iura possessionaria generationis, saucitur « quod portionem ipsorum in monasterio Odun, in honore beatae Virginis constructo in Nyr, communi in generatione eorum, communiter possidebunt »⁵⁾. Anno 1321. iam, loca sessionalia ad monasterium ipsorum Odun vocatum pertinentia dividunt inter se, modo sessione pro parte praepositi data intacta relicta, « patronatum vero eiusdem monasterii communiter possiderent »⁶⁾.

Talis erat status usque ad medium saeculi XIV. Anno 1347. iam iuris patronatus divisi mentio fit in litteris : « ... tertia pars portionum ipsorum filiorum Briccii in iure patronatus monasterii Virginis gloriosae, Odunmonostora nuncupati, haereditario iure ipsos filios Briccii et Leucus contingentis, in portionem ipsorum filiorum Georgii per modum divisionis devenisset »⁷⁾. Vestigia eius modi divisionis sequi possumus usque ad finem saeculi XIV.; tunc familia Báthory perillustris, ceterique patroni sedem suam e terra Nyir paulatim alio locant, procul a monasterio, ita ut quandoque nulli patroni inveniantur, quibus novus praepositus praesentetur, sed pater abbas de denominatione novi praepositi tantum indicem et communitatem villae Adon certiores faciat.

Initio, sicut diximus, ecclesia S. Stephani protomartyris de Promontorio Varadinensi erat mater ecclesia monasterii de Adon. Etiam anno 1320. eiusdem matris appellatur fillia⁸⁾, cum monasterium S. Stephani Varadinense iam 13 filias ecclesias habuisset⁹⁾, se mater ecclesia volventibus annis tam multis emissionibus iam non erat par. Nonnullae filiae, quae propius iacebant alicui conventui maiori, his se subiciebant et novos praepositos quoque ab eis accipiebant, ut e. gr. Majk a monasterio Turocziensi Bény a Saaghiensi, Hatvan a Leleczziensi monasterio. — Haec erat sors etiam monasterii de Adon. Non multo post annum 1320. Adon in provinciam conventus de Lelecz, comitatus Zempliniensis, pervenit et a medio saeculi XIV usque ad exitum suum filia mansit monasterii de Lelesz praepositosque suos e gremio Leleczziensi accepit. Ab hoc tempore aliquot praepositos de Adon nomine quoque novimus ac etiam de iuribus praepositi possessionarii uberiores explicationem ex variis litteris accipimus.

5) Arch. Regn. Hung. Dl. 1706.

6) Arch. Regn. Hung. Dl. 1045. et 3877.

7) Anjoukori okm. V 16.

8) Vide apud Pagium sub N=2. citatum.

9) Adony, Almás, Bény, Cheim, Hatvan, Jánoshida, Jászó, Majk, Margitsziget, Ocsa, Pályi, Sadium, Zsámbék.

Anno 1355. Nicolaus, filius Briccii et consaguinei sui de genere Guth-Keled possident villam Adon et pertinentias eius universas « absque uno fundo curiae praepositi ecclesiae Virginis gloriosae, in eadem possessione eorum Odonmonostora constructae, ibidem habito »¹⁰⁾. Sub eodem anno, sed in litteris anno 1397. transumptis legi potest, « quod in praedicta possessione Odomonostora vocata monasterium existeret in eodemque monasterio praepositus haberetur et portionem in eadem possessione Odenmonostora conservare dinosceretur »¹¹⁾, quae a ceteris portionibus certis metis est separata.

Ex anno 1381. notus est frater Benedictus praepositus de Adon, qui est professus ecclesiae de Lelec, ita ut etiam munus testimonii fidedigni empleret, emissus a conventu Lelecziensi¹²⁾. Idem Benedictus agit partes in causa iudiciaria anni 1383., cum iuxta sententiam palutinalem « absque interessentia Benedicti praepositi ipsius ecclesiae Odonmonostora ac revisione instrumentorum eiusdem ecclesiae » iudicium facere nequit. Ante conspectum palatini in persona Benedicti praepositi comparuit Thomas de Guth cum litteris procuratoriis conventus de Lelec; qui in conspectu iudicis affirmabat, Benedictum « in praetacta possessione Odonmonostora vocata portionem habere et possidere et super eadem ipsum dominum praepositum litteralia habere instrumenta »¹³⁾. Praeter possessionem Nyiradony etiam in possessionibus Abrány et Egyházas-Varsány habuit porciones possessionarias ecclesia de Adon¹⁴⁾.

Documenta hucusque allata demonstrabant : monasterium in possessione Adon extitisse; patronos eius fuisse membra generationis de Guth-Keled; praepositum conservasse certas porciones possessionarias in possessione Nyiradony alibique; praepositos denique de Adon fuisse professos ecclesiae S. Stephani, mox ecclesiae Lelecziensis. Ex ultimis annis saeculi XIV probabiliter ex anno 1388. eiusmodi capitula ad nos pervenerunt, quae demonstrarent coniunctionem intimam inter Lelec et Adon et suppeditarent documenta ubera de cura animarum fratrum praemonstratensium in Adon et per consequens in aliis monasteriis ordinis exhibita.

In prima sua fundatione et adhuc anno 1320. monasterium de

10) Anjoukori okm. VI 326.

11) Arch. Regn. Hung. Dl. 1749.

12) Arch. Regn. Lelesz. Stat. B. N=87.

13) Id. sub N=11.

14) Karácsonyi : Magyar nemzetségek : II 20.

Adon pertinebat ad dioecesim Magovaradinensem; paulo post adscriptum est dioecesi Agriensi¹⁵⁾. Ordinarii dioecesum omnino moleste ferebant, quod regulares curam animarum exercerent (exemplo sint casus monasterii de Hatvan a. 1273., de Insula leporum a. 1297., de Saagh a 1424. etc.) et privilegia ordinum ex hac parte minime libenter acceptabant. Hoc videri potest etiam in relatione Lelec et Adon ad Agriam. Cum Stephanus Chyko electus est episcopus Agriensis (praefuit ecclesiae suae 1387-1399.), omni modo probare conatus est : praepositum de Lelec, Dominicum (1378-1403.), qui durante schisma simul pater abbas et gubernator totius circariae Hungariae erat, suae iurisdictioni subiectum esse et eum debere apparere in synodo Agriensi totiens-quotiens. Hac de causa per procuratorem suum positiones et articulos dedit, quibus adversa pars (i.e. praepositus de Lelec.) medio suo iuramento respondere debeat et sic superioritatem episcopi Agriensis agnoscere.

Maxima pars harum positionum pertinet ad Lelec, sed articuli 13., 14., 15., et 16. et ad hos data responsa praepositi de Lelec ecclesiam de Adon tangunt et pulchre illustrant relationem eius ad matrem ecclesiam. Articuli praedicti, positi ex parte procuratoris episcopi Agriensis, ordine sic sequuntur.

13./ « Item, quod in dicta dioecesi Agriensi ac infra ipsam dyoecesim... fuit, esse consuevit temporibus proximis suprascriptis et per ipsa tempora et hodie est quaedam villa Odon communiter vocata et appellata, habens multos habitatores et multos parochianos utriusque sexus; et sic fuit et est verum. » — Haec tantum generalia sunt, quamquam et hic mentionem facit de parochianis. Sequens articulus iam in toto de ecclesia parochiali loquitur.

14./ Item, quod in dicta villa Odon vocata ac infra ipsam villam fuit et esse consuevit temporibus proximis suprascriptis et per ipsa tempora ac hodie est quaedam parochialis ecclesia, « ecclesia parochialis de Odon » communiter vocata et appellata, habens certam et limitatam parochiam et parochianos multos utriusque sexus, fontem baptismalem, cimiterium, campanas et alia insignia parochialem ecclesiam faciunt et demonstrantia; et sic fuit et est verum. » — Quis praefuerit huic ecclesiae parochiali, videas ex articulo sequenti.

15./ Item, quod dicta parochialis ecclesia de Odon iam ab uno, duobus, tribus, 4, 5, 10, 20, 30, 40 annis proximis praeteritis, citra vel supra, ac per ipsa tempora consuevit regi et gubernari,

15) Bunyitai : A váradi püspökseg tört. III 180.

recta et gubernata fuit, ac hodie gubernatur et regitur per unum ex canonicis sive fratribus dicti monasterii de Lelesz, praepositum eiusdem ecclesiae de Odony communiter nuncupatum, per praepositum pro tempore dicti monasterii de Lelesz deputatum; et sic fuit et est verum. » Tam accuratae sunt expressiones, ut nihil addi vel demi possit. Restat, ut aliquid etiam de modo collationes praepositurae audiamus. Ecce :

16./ Item, quod de usu, more, consuetudine et observantia legitime praescriptis ac inconcusse et inviolabiliter observatis, etiam temporibus proximis suprascriptis, ac per ipsa tempora, quotiens casus vacationis dictae ecclesiae de Odon occurrit, ipsis temporibus et per ipsa tempora, consuevit ipsa parochialis ecclesia de Odon per praepositum dicti monasterii de Lelesz conferri et assignari ac collata et assignata fuit uni ex canonicis vel membris aut patribus dicti monasterii de Lelesz; et sic fuit et est verum. »

Huiusmodi fuerunt assertiones procuratoris episcopi Agriensis quoad monasterium de Adon. Num praemonstratenses et imprimis Dominicus praepositus Lelesziensis acceptarunt hos articulos ? Dici potest : utique et quidem quoad totam summam, imo in responsione sua sese extendebant ad iurisdictionem quoque et sese plane immunes esse affirmabant a qualibet iurisdictione et subiectione episcopi Agriensis. Reponsum eorum sic sonat : « ... dictum monasterium Sanctae Crucis de Lelesz, seu abbates eiusdem pro tempore existentes et specialiter reverendus pater, dominus Dominicus, modernus praepositus seu abbas dicti monasterii, inter alia bona et iura, quae habuerunt habereque consueverunt et hodie habent in quadam villa seu oppido vulgariter dicto Odon, habuerunt et habere consueverunt et hodie habent prosus tamquam sua, videlicet in dicto oppido seu villa Odon quamdam parochialem ecclesiam, habentem parochianos in maximo numero utriusque sexus ac longam et amplam parochiam et in possessione vel quasi pacifica et quieta ipsius ecclesiae iuriumque et pertinentiarum eiusdem dictum monasterium et abbates seu praepositi pro tempore existentes et potissime dominus Dominicus abbas seu praepositus modernus fuerunt esseque consueverunt et hodie sunt palam et publice; Et sic fuit et est verum. »

Quoad iurisdictionem quoque responsum eorum conforme est praescriptioni veritatis. Sic se habet : « Item, quod dictum monasterium in Lelesz, dicti ordinis praemonstratensis ac dictae parochiales ecclesiae, positae in dictis villis, ut in villa Lelesz et in Odon, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis suis, ac

praepositi seu abbates ac rectores dictorum monasteriorum et ecclesiarum pro tempore existentes et consistentes et praecipue ac specialiter dictus dominus Dominicus, modernus praepositus seu abbas dicti monasterii, ut praedicitur, fuerunt esseque consueverunt temporibus supra proxime scriptis et hodie sunt dicti ordinis praemonstratensis, ac liberti et exempti a quacumque iurisdictione dicti episcopi Agriensis et in possessione vel quasi pacifica et quietae exemptionis, libertatis et immunitatis absque eo, quod umquam ullo tempore ab aliquo episcopo Agriensi et specialiter a moderno episcopo Agriensi aliqua ecclesiastica sacramenta occasione alicuius obligationis seu subiectionis acceperunt seu receperunt et ut tales et pro talibus se habuerunt, nominarunt, vocaverunt et imputaverunt, habitique, tenti, nominati et imputati fuerunt, habentur, tenentur, nominantur, vocantur et imputantur ab omnibus cognoscentibus eos palam, publice et notarie; et sic fuit, et est verum »¹⁶⁾.

Diudicatio causae pervenit in conspectum archiepiscopi Strigoniensis, qui comprobabat argumentationem, quod praemonstratenses Leleszienses cum omnibus pertinentiis suis (ergo etiam cum ecclesia parochiali de Adon) liberti et exempti essent a qualibet iurisdictione episcopi Agriensis, asserens e contra praepositos Leleszienses soli ecclesiae archiepiscopali Strigoniensi esse subiectos. Praepositus et praesertim conventus Lelesziensis — duce custode conventus — appellantes ad privilegia ordinis, hanc subiectionem quoque negabant¹⁷⁾ ita ut causa in forma appellationis in Curiam Romanam pervenisset. Quam controversiam demum anno 1400. Bonifacius papa sic decedit : « ... ut monasterium S. Crucis de Lelesz... nullum alium, praeter archiepiscopum tamquam immediatum superiorem recognoscere et eidem ac nulli alteri oboedientiam et reverentiam debitas exhibere ac ad synodum eiusdem archiepiscopi, quoties illa celebrari contingeret, accedere... debeat »¹⁸⁾.

Quod praeposituram de Adon attinet, omnia manebant in usu antiquo. Anno 1435. mortuus est frater Thomas, praepositus de Adon, qui iuxta litteras eiusdem anni « in fine ipsius possessionis Adon » domum seu *fundum curiae* habuit¹⁹⁾.

16) Arch. Secr. Lelesz. Fasc. VI N=435.

17) Arch. Secr. Lelesz. Fasc. V N=349. Pray : Specimen hierarchiae, p. 34.

18) Szirmay : Notitia top. comitat. Zempl. 202.

19) Károlyi cs. okl. II 163.

Mortuo Stanislao praeposito ecclesiae Sanctae Crucis de Lelesz, anno 1451. omnes patres conventuales conveniunt ad eligendum novum praepositum et praelatum. Inter hos primo loco nominatum invenimus « fratrem Damianum seniore, alias *praepositum de Adon* »²⁰⁾, qui in electione novi praepositi aequae accipiebat partes, ac ceteri fratres conventuales. — Coniunctionem inter Lelesz et Adon adhuc artiore significat nobis litterae, quas frater Martinus, professus de Lelesz, Budae commorans, scribit « venerabili et religioso viro, fratri Andreae, *priori de Lelesz, necnon praeposito de Adon, domino et patri suo honorando*, » monet eum, det operam, ut quo prius transeat in monasterium de Türje (comitatus Zaladiensis), si istam praeposituram assequi velit²¹⁾. Difficile est explicare, quomodo possit esse frater Andreas simul prior Lelesziensis et praepositus de Adon, cum stallum utrumque diversam personam poscat, nisi frater Andreas ex praeposito de Adon factus sit prior Lelesziensis servato titulo prioris stalli.

Ultimum documentum, quod habemus de praepositura de Adon, exstat ex anno 1489. et in se continet revocationem praepositi de Adon et nominationem novi praepositi — sicuti positiones episcopi Agriensis asserebant — per praepositum de Lelesz factas. Hoc documentum de verbo ad verbum inserimus dissertationi nostrae, quia est lucida demonstratio omnium antedictorum.

Nos Nicolaus Hostfy praepositus et conventus ecclesiae Sanctae Crucis de Lelesz,... universis, Quod nos considerantes vitae virtutem, laudabilis conversationis et litteralis sufficientiae peritiam religiosi fratris Clementis, ordinis praemonstratensis, in quibus ipse in medium nostri verisimiliter est approbatus, praeposituram ecclesiae de Adony, nunc a religioso fratre Anthonio, pristino praeposito eiusdem ecclesiae certis rationabilibus de causis privatam et receptam, eidem tamquam personae benemeritae in perpetuum contulimus praesentium per vigorem. Quocirca vobis universis et singulis, iudici ceterisque iuratis omnibus et toti universitati praescriptae possessionis Adon firmiter comittimus et mandamus aliud habere nolentes, quatenus mox visi praesentibus, praedictum fratrem Clementem in vestrum verum *praepositum et pastorem animarum* in medium vestri assumptum eidemque et nemini alterius universos proventus e medio vestri provenire debentes, plenarie et absque

20) Arch. Secr. Lelesz. Fasc. V N=257.

21) Arch. Secr. Lelesz. Fasc. V N=348.

omni defectu reddere et administrari facere velitis. Secus non facturi... ²²⁾).

Nescimus, quis secutus sit in praepositura nunc nominatum Clementem. Nulla documenta supersunt de sorte praepositurae vel parochialis ecclesiae de Adon ex saeculo XVI. In primis viginti quinque annis huius saeculi Lelesz, mater ecclesia de Adon, adhuc sufficientes fratres habebat ad necessarias emissiones sive ad curam animarum exercendam, sive ad functiones conventuales peragendas; postea autem iam in ipsa matre ecclesia tantopere diminutus est numerus fratrum, ut sacerdotes saeculares adacta sit assumere, ut satisfaciat litteris expediendis. Novos praepositos dare filiae ecclesiae iam non potuit, sic ecclesia parochialis in manus sacerdotum saecularium pervenit.

Arisztid OSZVALD.

22) Arch. Secr. Lelesz. Fasc. VI N=485.